

aliae formae non possunt subsistere in illo esse, sicut potest anima.

Ad tertium dicendum, quod propter hanc objectionem Plato posuit, ut Gregorius Nyssenus (a) narrat, quod anima est in corpore sicut motor in mobili, ut nauta in navi, & non sicut forma in materia: unde dicebat, quod homo non est aliquid ex anima, & corpore, sed quod homo est anima utens corpore: & propter hoc etiam quidam quaesierunt quaedam media inter animam & corpus, ut spiritum corporalem, animam vegetabilem, & sensibilem, & lucem, quibus medianibus anima rationalis corpori uniretur: quae omnia absurda sunt secundum Philosophiam, & improbara à Philosopho in VIII. Metaph. (text. xi. & xvi.) Et ideo dicimus quod essentia animae rationalis immediate unitur corpori sicut forma materiae; & figura ceræ, ut in II. de Anima (text. vii.) dicitur. Sciendum ergo, quod convenientia aliquorum potest attendi dupliciter: aut secundum proprietates naturae; & sic anima, & corpus multum distant: aut secundum proportionem potentiae ad actum; & sic anima, & corpus maxime conveniunt. Et ista convenientia exigitur ad hoc ut aliquid uniat alteri immediate ut forma: alias nec accidens subiecto, nec aliqua forma materiae uniretur; cum accidens, & subiectum etiam sint in diversis generibus, & materia sit potentia, & forma sit actus.

Ad quartum dicendum, quod in formis est quidam gradus nobilitatis; & quanto aliqua forma est nobilior, tanto plus materiae praedominatur: unde forma terrae est magis materialis quam forma aeris, vel ignis. Inter autem omnes formas animae rationalis nobilior est, unde maxime praedominatur materiae. Omne autem quod unitur alteri ut vincens, & dominans, super illud habet effectum non solum secundum conjunctionem sui ad alterum, sed etiam per se absolute, in quantum non dependet ab illo cui unitur, sicut patet in igne candelae, cuius lumen extenditur ultra ascensionem vaporis, & calefactionem. Unde quaedam vires ab anima provenire possunt quae sunt corporis actus, & quaedam sunt ab organis corporalibus absolute: quamvis enim essentia animae corpori uniat ut forma, non tamen sicut forma materialis non habens esse absolute in quo subsistere possit.

ARTICULUS V.

Utrum anima humana tali corpori debuerit uniri.

I. P. quæst. lxxvi. art. 5. & II. contra Gen. cap. lxxi.

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod tali corpori uniri non debuit. Cum enim forma proportionetur materiae, nobilissimae formae debetur nobilissimum corpus. Sed corpus caeleste est nobilissimum corporum. Ergo videtur quod corpori caelesti debeat uniri anima, quae est nobilissima formarum.

2. Praeterea. Simplicis formae magis proportionatur corpus simplex quam compositum. Sed anima est simplicissima formarum. Ergo non debet uniri composito, sed simplici.

(1) *A.* scilicet per hoc. (2) *Al.* inveniunt.

Ex Edit. P. Nicolai. (a) Lib. II. de anima cap. v. etsi Nemesii potius opus illud quam Gregorii esse notat, & probat Bellarminus de Script. Eccl. ac Nemesii nomine Bibliotheca PP. habet.

3. Praeterea. Corpus organicum est magis difforme quam corpus homogeneum. Sed anima est simplicissimus motor. Ergo corpus cui unitur sicut mobili, debet esse homogeneum, & non organicum.

4. Praeterea. Quanto corpus est subtilius, tanto magis accedit ad nobilitatem formae, & continentis. Sed ignis est subtilissimum corpus: unde in II. de generatione dicitur, quod habet plus de specie. Ergo videtur quod ad minus secundum praedominium ignis debeat esse in corpore animato, cuius contrarium ostendit motus gravis quem habet: unumquodque enim movetur motu praedominantis in ipso, ut in I. de Caelo & mundo dicitur.

Sed contra est quod dicitur Genes. 11. 7. *Formavit Deus hominem de limo terra.* Et hoc etiam ad sensum videmus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod oportuit talem formam, scilicet animam rationalem, corpori bene complexionato uniri: cuius rationem assignat Avicenna (de Intelligentis cap. x. part. 2. & deinceps) dicens, quod oportet ordinem perfectibilium esse secundum ordinem perfectionum. Inter omnes autem perfectiones illa est nobilissima quae movet caelum, cui inter omnes alias perfectiones maxime anima rationalis assimilatur: & ideo corpus oportet quod sit simillimum caelo. De nobilitate autem corporis caelestis est quod non habet contrarium: unde quanto plus corpus separatur a contrarietate, simillius caelo efficitur. Hoc autem non potest esse in generabilibus, & corruptibilibus hoc modo quod a contrariis omnimode absolvantur, scilicet calido, & frigido, (1) per hoc quod (2) conveniunt ad medium, quia medium neutrum extremorum est actus: & ideo illud corpus quod venit ad maximam aequalitatem mixtionis, est simillimum caelo; & tale corpus debet esse corpus humanum: & inde est quod dicitur II. de Anima (text. xciv.) quod homo habet meliorem tactum ceteris animalibus: & quanto est melioris tactus, tanto est melioris intellectus, quia subtilitas tactus sequitur aequalitatem complexionis. Instrumentum enim tactus debet esse in potentia respectu suorum sensibilium sicut medium, & non privatio, sicut pupilla est potentia album, & nigrum, ut in eodem Libro (text. cxix.) dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod corpus caeleste est nobilior quam corpus humanum, & perfectio sua est nobilior quam anima humana. Sed, sicut dicit Commentator in Lib. I. de substantia orbis, cap. 11., corpus caeleste non est generabile, neque corruptibile, sicut corpus humanum; & ideo non indiget perfectione terminante ipsum sensibilicando, & vegetando, sed qua moveat ipsum in loco: & quaecumque sit virtus illa, sive Deus, sive Angelus, est superior in natura quam anima humana, quae est motor corporis humani; & corporeitas caeli quam corporeitas corporis humani.

Ad secundum dicendum, quod corpora simplicia maxime removentur à similitudine caeli, in quantum in eorum natura est habere contrarium cum intentione, & ideo corpori tali anima rationalis uniri non debuit.

Ad tertium dicendum, quod anima rationalis quam-

quamvis sit simplex in essentia, tamen est multiplex in potentiis, & operationibus: & ideo oportet quod corpus suum multa habeat organa ad diversas operationes apta: & propter hoc natura dedit homini manus, quibus plurimas operationes facere potest; & propter hoc etiam quanto anima est minus nobilis, requirit minorem diversitatem in organis, sicut patet in plantis, & in animalibus annulosis.

Ad quartum dicendum, quod elementa quanto plus habent de specie, & de qualitatibus activis, tanto plus habent de virtute agendi: unde non posset fieri adaequatio, nisi de elemento magis materiali esset plus secundum quantitatem, vel materiam. Ideo oportet corpus humanum secundum quantitatem habere plus de terrestri, quamvis non secundum qualitatem, quia in corpore vivo dominatur calidum: unde in Libro de Anima dicitur, quod nihil est sensitivum sine calore, & quod calor ignis est instrumentum animae. Et quia gravitas, & levitas, quae sunt principia motus localis, consequuntur quantitatem materiae, ideo motus gravis apparet in corpore humano.

EXPOSITIO TEXTUS.

Plato namque tria initia existimavit. Sciendum, quod in hoc Plato erravit, quia posuit formas exemplares per se subsistentes extra intellectum divinum, & neque ipsas, neque materiam à Deo esse habere.

Aristoteles vero duo principia dixit. Videtur imperfecte tangere positionem eius: quia ipse ponit tria principia in I. Phys. materiam, formam, & privationem.

DISTINCTIO II.

Quae consideranda sunt de Angelis.

DE angelica itaque natura haec primo consideranda sunt, quando creata fuerit, & ubi, & qualis facta sit, dum primo conderetur. Deinde qualis effecta sit aversione quorundam, & conversione quorundam. De excellentia quoque, & ordinibus, & donorum differentia, & de officiis, ac nominibus, aliisque pluribus aliqua dicenda sunt.

Quando facti sunt Angeli, prius dicit: in quo videntur sibi obviare auctoritates.

QUaedam auctoritates innuere videntur quod ante omnem creaturam creati sunt Angeli. Unde illud (Eccl. 1. 4.), Primo (1) omnium creata est sapientia: "quod intelligitur de angelica natura, quae in Scriptura saepe vita, sapientia, & lux dicitur. Nam sapientia illa quae Deus est, creata non est: Filius enim sapientia Patris est genita, non facta, nec creata: & tota Trinitas una sapientia est, quae non facta, nec creata est, nec genita, nec procedens. De angelica ergo vita illud accipiendum est, de qua dicit Scriptura quando facta est, scilicet primo omnium. Sed rursus alia Scriptura dicit (Gen. 1. 1.), In principio creavit Deus caelum, & terram: " & in Propheta (Psalm. ci. 26.), Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli. " Et vide, ut quaedam contrarietas oriri ex assertionibus istis. Nam si primo omnium creata est sapientia, omnia post ipsam facta videntur; & ita post ipsam facta videntur caelum, & terra, & ipsa facta ante caelum, & terram. Iterum si in principio creavit Deus caelum, & terram; nihil factum est ante caelum, & terram. Ergo nec ipsa sapientia facta ante caelum, & terram. Cum ergo haec contraria videantur, nec in divina Scriptura fas sit sentire aliquid esse contrarietatis, requiramus intelligentiam veritatis.

Quid

(3) *Vulgata* prior omnium.

(1) *Quae sequuntur, quæstione 11. art. 5. post responsionem ad quartum confuse ponebantur in editionibus quas vidimus omnibus, præter Parisinam à Nicolajo curatam, in quæ separatim habetur cum hoc titulo, Appendix ad expositionem textus, quæ superius præmissa est, scilicet immediate post Magistri textum, ut in illa editione semper fit.*

Quid sit tenendum docet, pramissas auctoritates determinando.

Videtur itaque hoc esse tenendum, quod simul creata est spiritualis creatura, idest angelica, & corporalis; secundum quod potest accipi illud (2) Salomonis (Eccli. xviii. 1.) „ Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul, idest spirituales, & corporales naturam; & ita non prius tempore creati sunt Angeli quam illa corporalis materia quatuor elementorum; & tamen primo omnium creata est sapientia: quia etsi tempore non praecedit, praecedit tamen dignitate.

Quod simul creata fuerit corporalis, & spiritualis creatura.

Quod autem simul creata fuerit spiritualis, corporalisque creatura, Augustinus super Genes. (Lib. I. cap. 111.) aperte ostendit, dicens, per caelum, & terram, spirituales, corporalesque creaturam intelligi: & haec creata sunt in principio, scilicet temporis, vel in principio, quia primo facta sunt.

Quod nihil factum est ante caelum, & terram, nec etiam tempus: cum tempore enim creata sunt, sed non ex tempore.

Ante ea enim nihil factum est, nec etiam tempus factum est ante spirituales, scilicet angelicam, naturam, & ante corporalem, scilicet materiam illam quatuor elementorum confusam. Illa enim cum tempore creata sunt, nec ex tempore, nec in tempore; sicut nec tempus in tempore creatum est, quia non fuit tempus antequam esset caelum, & terra. Unde Augustinus in Lib. V. de Trinit., cap. xvi., dicit, quod Deus fuit Dominus antequam esset tempus, & non in tempore cepit esse Dominus: quia Dominus fuit temporis, quando esse cepit tempus: nec tunc tempus cepit esse in tempore, quia non erat tempus antequam inciperet tempus.

Quod simul cum tempore, & cum mundo cepit corporalis, & spiritualis creatura.

Simul ergo cum tempore facta est corporalis, & spiritualis creatura, & simul cum mundo, nec fuit ante angelica creatura quam mundus: quia, ut Augustinus ait (super Gen. ad lit. Lib. I. cap. xix.) nulla creatura est ante saecula, sed a saeculis, cum quibus cepit. Hieronymus tamen super Epistolam ad Titum, cap. 1. vers. 2., aliud videtur sentire, dicens: „ Sex millia necdum nostri temporis implentur annorum; & quantas prius aeternitates, quanta tempora, quantas saeculorum origines fuisse arbitrandum, est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, ceterique ordines servierint Deo absque temporum viciis, cibis atque mensuris, & Deo iubente subsisterint? „ His verbis quidam adherentes, dixerunt, cum mundo coepisse tempus saeculare, sed ante mundum existisse tempus aeternum sine mutabilitate: & in eo immutabiliter, & intemporaliter astruunt Angelos Deo iubente substitisse, eique servisse. Nos autem quod prius dictum est, pro captu intelligentiae nostrae magis approbamus, salva tamen reverentia secretorum, in quibus nihil temere asserendum est. Et illud Hieronymum dixisse non ita sentiendo, sed aliorum opinionem referendo arbitramur.

Utrum Angeli mox creati fuerint in empyreo, scilicet quod statim ut factum est, Angelis fuit repletum.

JAM ostensum est, quando creata fuerit angelica natura; (1) nunc autem attendendum est ubi facta fuerit Testimonium auctoritatum evidenter monstrat Angelos ante casum fuisse in caelo; & inde corruisse quosdam propter superbiam; alios vero qui non peccaverunt, illic persistisse. Unde Dominus in Evangelio (Luc. x. 18.) ait: „ Videbam satanam sicut fulgur cadentem de caelo. „ Nec appellatur hic caelum firmamentum, quod secunda die factum est, sed caelum splendidum, quod dicitur empyreum, scilicet igneum, a splendore, non a calore: quod statim factum, Angelis est repletum: quod est supra firmamentum: & illud empyreum quidam expositores sacrae Scripturae, nomine caeli intelligi volunt, ubi Scriptura dicit (Gen. 1. 1.) „ In principio creavit Deus caelum, & terram. „ Caelum (inquit Strabus) non visibile firmamentum hic appellat, sed empyreum, idest ignem, vel intellectualem, quod non ab ardore, sed a splendore dicitur: quod statim factum repletum est Angelis: unde Job (xxxv. 11. 4. & 7.) Ubi eras... cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei? „ De hoc quoque Beda ita (super Gen.) ait: „ Hoc superius caelum, quod a volubilitate mundi secretum est, mox ut creatum est, sanctis Angelis impletum est; quos in principio cum caelo, & terra conditos testatur Dominus dicens: Ubi eras cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei? Astra matutina, & filios Dei eosdem Angelos vocat. „ Caelum enim in quo posita sunt luminaria, non in principio, sed secunda die factum est. „ Ex his liquet quod in empyreo omnes Angeli fuerunt ante quorundam ruinam; simulque creati sunt Angeli cum caelo empyreo, & cum informi materia omnium corporalium.

Quod

(1) Al. nec attendendum.

EX EDIT. P. NICOLAI. (a) Non quod Salomon ipse hujus Libri Auctor sit, sed quod ex ejus dictis, vel sententis concinnatus a Jesu Sirach vero ejus auctore, ut ex prologo patet: unde Sapientia Sirach juxta Graecam inscriptionem appellatur, etsi nomine Salomonis multi veterum insignire non dubitarunt propter sententiarum similitudinem, ut Augustinus Lib. II. de Doct. christ. cap. viii. insinuat.

Quod simul creata est visibilibus rerum materia, & invisibilium natura, & utraque informis secundum aliquid, & formata secundum aliquid.

Simul ergo visibilibus rerum materia, & invisibilium natura condita est; & utraque informis fuit secundum aliquid, & formata secundum aliquid. Sicut enim corporalium materia confusa, & permixta, quae secundum Graecos chaos dicta est, in illo exordio conditionis primariae & formam confusionis habuit, & non habuit formam distinctionis, & discretionis, donec postea formaretur, atque distinctas reciperet species; ita spiritualis, & angelica natura in sua conditione secundum naturam suam habitum formata fuit; & tamen illam, quam postea per amorem, & conversionem ad Creatorem suum acceptura erat, formam non habuit, sed erat informis sine illa. Unde Augustinus (Lib. I. sup. Gen. cap. 1.) multipliciter exponens praemissa verba Genesis: „ In principio creavit Deus caelum & terram, per caelum dicit intelligi informem naturam spiritualis vitae; sicut in se potest existere non conversa ad Creatorem, in quo formatur; per terram, corporalem materiam sine omni qualitate, quae apparet in materia formata.

Quomodo dicat Lucifer secundum Isaiam: Ascendam in caelum, &c. cum esset in caelo.

HIC quaeri solet, si in caelo empyreo fuerunt Angeli statim ubi facti sunt; quomodo, ut legitur in Isaiam (cap. xiv. 3.) dicit Lucifer: „ Ascendam (2) in caelum, & exaltabo solum meum, & ero similis Altissimo? „ Sed ibi caelum vocat Dei celsitudinem, cui parificari volebat. Et est talis: Ascendam in caelum, idest ad aequalitatem Dei.

DIVISIO TEXTUS.

HIC Magister incipit determinare de creaturis in speciali quantum ad considerationem Theologi pertinet: & dividitur in tres partes. In prima determinat de creatura pure spirituali; in secunda de creatura pure corporali, xii. dist. ibi: Haec de angelica natura conditione dicta sufficiant; in tertia de creatura ex utraque composita xvi. dist. His excursis, quae supra de creatione hominis praemissimus, effectui mancipare atque ordine explanare nunc suscipimus. Prima in tres. In prima determinat de Angelorum creatione; in secunda de separatione per aversionem, & conversionem, vi. dist. ibi: Post haec, consideratio adducit inquirere, quales effecti sint, dum dividerentur aversione, & conversione; in tertia determinat de bonorum dignitate, ix. dist. ibi: Post praedicta superest cognoscere de ordinibus Angelorum quid Scriptura tradat. Prima in duas. In prima determinat de creatione Angelorum, quantum ad illud quod adjacet eis quasi mensura; in secunda determinat de conditione ipsorum creatorum, 111. dist. ibi: Ecce ostensum est ubi Angeli fuerint mox ut creati sunt. Prima dividitur in duas. In prima ostendit quando creati sunt Angeli; in secunda ubi creati sunt; ibi: Jam ostensum est quando creata fuerit angelica natura. In prima dicit de quo est intentio; in secunda prosequitur quaestionem, ibi: Quaedam auctoritates videntur innuere quod ante omnem creaturam creati sunt Angeli. Et circa hoc duo facit. Primo movet quaestionem, ponendo rationes ad utramque partem; secundo determinat eam, ibi: Videtur utique hoc esse tenendum. Et circa hoc tria facit. Primo determinat quaestionem; secundo determinationem confirmat, ibi: Quod autem simul creata fuerit corporalis, spiritualisque creatura, Augustinus... aperte ostendit; tertio objecta in contrarium solvit, ibi: Hieronymus super Epistolam ad Titum aliud videtur sentire. Jam ostensum est quando creata fuerit angelica natura. Hic determinat ubi creati sunt Angeli: & primo ostendit quod in caelo empyreo; secundo epilogat ea quae dixerat, ibi: Simul ergo visibilibus rerum materia, & invisibilium natura condita est; tertio objectum in contrarium solvit, ibi: Hic quaeri solet, si in caelo empyreo fuerunt Angeli statim ubi facti sunt.

QUÆSTIO I.

HIC est duplex quaestio. Prima de aeo, quod durationem Angeli mensurat. Secunda de caelo empyreo, qui locus Angelorum dicitur. Circa primum tria quaeruntur.

- 1. Primo. Utrum aevum ab aeternitate, vel tempore differat.
- 2. Secundo. Utrum sit unum tantum aevum.
- 3. Tertio. Utrum aevum mensurans durationem Angeli ante tempus inceperit.

ARTICULUS I.

Utrum aevum sit idem quod aeternitas.

I. P. quest. x. art. 4.

AD primum sic proceditur. Videtur quod aevum sit idem quod aeternitas. Sicut enim dicitur in Libro de causis (propos. 11.) intelligentia parificatur aeternitati. Non autem nisi sicut mensuratum mensura. Cum ergo mensura angelicae durationis ponatur aevum, videtur quod sit idem aeternitati. 2. Praeterea. Sicut se habent mensurata, ita & mensurae. Sed Angelus non est causa temporalium rerum. Ergo nec mensura durationis ejus causa erit temporis, sed tantum mensura durationis creationis, quae est aeternitas. Sed aevum est causa temporis, sicut dicit Boetius de Consolat. (Lib. III. metr. ix.) „ Qui tempus ab aeo Irre jubes. 3. Praeterea. Sicut se habent mobilia ad invicem in successione, ita se habent immobilia ad invicem in immobilitate. Sed omnium mobilium est una mensura successiva: scilicet tempus. Ergo & omnium immobilium est mensura una, scilicet aeternitas. 4. Sed contra. Videtur quod aevum sit idem quod tempus. Quia, secundum Augustinum (Lib. VIII. sup. Gen. ad litter. cap. xxvi.) Deus movet spirituales creaturas per tempus. Sed talis creatura mensura ponitur aevum. Ergo aevum, & tempus idem sunt.

(2) Vulgata. „ In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solum meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. „